



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. III. Vtrùm eleëmosyna rectè dúidatur in septe[m] corporales, &
septe[m] spirituales?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

rex sæpè per inferiorem imperat aliquid huic superiori, sibi tamen subiecto.

Actus imperatus potest habere obiectum in forma le roto genere distinctum ab obiecto actus imperantis.

Ad secundum, Respondeo eundem actum voluntatis posse directè ferri in suum obiectum, ob propriam suam honestatem, & tamen simul alio actu referri in alium finem. ut patet in exemplo allato: nam contritio detestatur peccata præcisè quia displicent Deo, & tamen ab eliciente per actum spei refertur in finem ipsius spei.

Nota tamen actum imperatum eo casu non accipere ullam bonitatem ab actu imperante: hoc enim solùm convenit actibus externis respectu actus interni, à quo immediatè imperantur. ut ostendi disp. 3. dub. 10.

D V B I V M I I I.

Utrum eleemofyna rectè dividatur in septem corporales & septem spirituales?

14 **R**espondeo, ex communi omnium sententia rectè ita dividi: quod pulchrè ostendit D. Thomas suprà art. 2. omnesque his duobus verbis comprehendit:

Visto, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo, Consule, castiga, solare, remitte, ser, ora.

Priore comprehenduntur opera misericordiae corporalia, secundo spiritualia: ita tamen ut sub verbo *consule* subintelligatur etiam *doce* ignorantes, ut monet D. Thomas suprà.

15 Vbi etiam in responsione ad 2. bene notat, posse diversa alia dari opera misericordiae, quæ strictè loquendo à supradictis distinguantur. Qualia sunt ducere cæcum per rectam viam, liberare oppressos ab opprimentibus, succurrere patienti naufragium, aut simili aliqua ratione in periculo esistenti; defendere læsam aliorum famam, aliisque similia, quæ plurima enumerari possent. Cum enim omnis honesta subleuatio miseriae proximi sit eleemofyna, sicut nobis tam in corpore quam in anima ferè innumera possunt occurrere miseriae, ita innumera ferè deberent recenseri misericordiae opera, si omnia distinctè essent recensenda. Communiter tamen sola supradicta solent recenseri, ac aliis proponi; tum quia maximè communia sunt, tum etiam quia alia aut possunt ad ea facillè reduci, aut ex iis intelligi.

16 Vbi præterea Notandum est, per visitare infirmos, non intelligi solam visitationem quatenus hæc adfert aliquod solamen ægro, quæ ratione videtur potius pertinere ad consolationem mortuorum: sed præcipuè intelliguntur opera & cura ægris impensa, quibus eorum morbus aliqua ratione subleuari possit.

17 **A**ddit præterea D. Thomas art. 3. eleemofynas spirituales ex genere suo esse præstantiores corporalibus. Primò, quia dona spiritualia sunt nobiliora corporalibus. Secundò, quia per illa subleuatur spiritus, qui melior est corpore. Tertiò, quia actus spirituales, quibus exhibetur eleemofyna spiritualis, sunt nobiliores corporalibus. Subdit tamen ratione circumstantiarum & ob indigentiam proximi, corporales quandoque esse præferendas spiritualibus;

extrema enim fame laborans potius pascendus est quam erudiendus. Item cum corporales ferè fiant cum maiore incommodo dantis, cò quòd dando fiat pauperior, sunt etiam difficiliiores, & ex hac parte sæpè earum laus & meritum multum crescit; præsertim quando aut magnæ sunt, aut sunt ab iis qui re quam dant etiam notabiliter indigent.

His positis solùm hîc restat aliqua difficultas, vtrum sepultura mortuorum debeat numerari inter opera misericordiae. Quidam enim hæretici nostri temporis apud Bellarm. libr. de Bellarm. Purgatorio cap. ultimo, inter multa alia, quæ Catholici in suorum sepultura usurpare solent, hoc etiam reprehendunt, quòd credamus sepulturam mortuorum esse opus misericordiae, pium & Deo gratum.

Primò, quia Matthæi 25. Christus enumerans sex alia opera misericordiae corporalia nullam facit mentionem sepulturae: ergo censet eam non esse opus misericordiae. Secundò, quia opera misericordiae dicuntur exhiberi creaturæ rationali, quale non est cadaver. Tertiò, quia sepultura nullo modo prodest defunctis, nec ea carere iis vllò modo obest: ergo eos sepelire non est opus misericordiae.

Antecedens patet Primò, ex cap. Sacru. de Sacru. sepultura. vbi dicitur iustus non obesse sepulturam nullam vel vilem. Secundò, quia S. Augustinus lib. 1. de Ciuitate cap. 12. ait: *Quia ista, id est curatio funeris, conditio sepulturae, pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia quam mortuorum subsidia.* Quartò, quia Christus Lucæ 12. docet non esse timendos tyrannos, qui corpus occidunt, & postea non habent quod faciant; quod verum non esset, si mortuo obesset carere sepultura.

Sed sepulturam defunctorum esse verum opus misericordiae erga defunctos, non solùm omnes Catholici asserunt, sed Scriptura aperte testatur: nam 2. Regum 2. cum nuntiarum esset Dauidi quòd viri labes Galaad sepeliuissent Saul, misit ad eos nuntios qui suis verbis iis dicerent, *Benedicti vos à Domino, qui scistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum.* Vbi Dauid expresse vocat sepulturam opus misericordiae erga defunctum, docetque illos viros ob eam Sauli exhibitam esse benedictos à Domino, siue à Domino aliquam benedictionem meruisse. Item Tobias in Scripturis plurimum laudatur, quòd inter cetera misericordiae opera tam sedulo defunctos sepelirer.

Probatum Secundò, ex Patribus, quos fuse citat Valentia 2. 2. disp. 3. qu. 9. puncto 2. Vnus hîc mihi sufficit Ambrosius, qui libro de Tobia cap. 1. ait: *Nihil hoc officio præstantius, ei conferre (scilicet beneficium) qui tibi iam non possit reddere: vindicare à volatilibus, vindicare à bestis confortem naturæ.*

Probatum Tertiò, ratione. Primò, quia aliquem honestè sepeliri, pertinet ad honorem & famam defuncti; sicut contrà priuari sepultura est ei ignominiosum; vnde hoc etiam affectus supplicio, tamquam ipso supplicio ignominiosius, solet pro graui pœna infligi. Confirmatur, quia

quia secundum commune iudicium, censetur honorare defunctos, eorum imagines aliaque res ad eos pertinentes, honorifice asseruando; & contra censetur eos afficere dedecore, si hæc viliter & neglectim habeamus, aut etiam abiciamus; quanto igitur magis ad eorum honorem aut contemptum pertinet, si hac vel illa ratione eorum corpora tractemus? Vnde D. Augustinus lib. 1. de Ciuitate cap. 13. Non contemnenda, inquit, nec abicienda sunt corpora defunctorum, maxime iustorum & fidelium, quibus tamquam organis & vasculis ad omnia opera bona sanctus vsus est spiritus. Si enim paterna vestis, aut annulus, aut si quid huiusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes maior extiterit affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utriusque familiaris atque coniunctis, quam quilibet indumenta gestamus. Et paulò infra: Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequia celebrata, & sepultura prouisa; ipsæque, dum viuerent de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandata dederunt. Vbi deinde pluribus probat hoc opus esse pium, & Deo gratum.

21 Probatur ex ratione Secundò, ex communi affectu & cura quam mortuiri circa suam sepulturam habent. vt patet ex verbis D. Augustini, & exemplis antiquorum Patriarcharum; cui affectui per sepulturam satisficit. Tertiò, quia Ecclesiastica frui sepultura per accidens multum sapè defunctis prodest, ratione præeam quæ pro fidelibus talibus locis sepulcris particulatim funduntur. Quod pulchrè & fusè docet D. Augustinus lib. de Cura pro mortuis gerenda cap. 4. vbi inter alia ait: Quoniam si nonnulla religio est vt sepeliantur, non potest nulla esse, quando vbi sepeliantur attenditur. Deinde docet hoc prodesse mortuis, quia alij, dum recolunt vbi sint posita eorum, quos diligunt corpora, ipsam sanctis (quibus scilicet illa sepulture loca consecrata sunt) illos tamquam patronis susceptos hospites apud Dominum adiuvandos orando commendant.

Valentia. Ob huiusmodi rationes Valentia supra secutus Bañez docet, esse peccatum mortale, sine vlla iusta causa omittere sepulturam, cum ea defuncto commodè possit exhiberi, quæ est quadam inhumanitas erga naturam humanam.

22 Ad primum argumentum positum n. 18. nego consequentiam, quia Christus ibi non intendit omnia misericordie opera enumerare; sed illa sola, quæ frequentius occurrunt, & ab hominibus negliguntur: aut etiam potest dici ipsum solum intendisse recensere ea, quæ ex sola misericordia solent alienis exhiberi, & sub iis voluisse reliqua intelligi; sepultura autem communiter ab amicis curatur tamquam aliquid spectans ad honorem familie, adeoque rarò aliis incumbit onus eam curandi ex misericordia.

Ad secundum, Respondeo sepulturam exhiberi non tam in gratiam cadaveris, quam ipsius animæ, qui, vt patet ex dictis, ea ratione officium & misericordiam præstamus,

Coninck de act. supernat.

Ad tertium eiusque probationes, Respondeo solum probare, sepulturam per se non posse prodesse defunctis, efficiendo eos felices, sicut nec eius carentia potest eos reddere infelices, quasi animæ tam diu loco Beatorum excluderentur, donec eorum corpora sepeliantur, vt olim quidam Gentiles credebant; quos refutat D. Augustinus loco in argumento citato, & præcipue lib. de Cura pro mortuis gerenda c. 2. & hoc solum vult Christus Lucæ 11. vnde etiam subiungit eum solum timendum, qui potest animam mittere in gehennam, & ita celo excludere. Per accidens tamen sepulturam prodesse defunctis, tum ad illorum honorem ac venerationem augendam, tum etiam vt viuentium precibus magis iuuentur, patet ex dictis, & ipse August. supra citatus docet.

23 Obiciunt præterea aliqui id, quod Christus dicit Lucæ 11. Vt vobis, qui edificatis monumenta Prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos: profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem edificatis eorum sepulchra. Qui locus satis obscurus est, & varij variè ad eum respondent, quorum responsiones fusè recenset Turrianus 2. 2. disp. 81. dub. 1. Sed his omisis Respondeo Primò, hunc locum nihil facere contra præsentem materiam; & vt summum quadam externa apparentia ibi videri improbari cultum reliquiarum Sanctorum. Respondeo Secundò, eum locum etiam omnino nihil facere contra cultum reliquiarum, sed potius eum probare, tanquam opus ab omni antiquitate habitum pium.

24 Pro eius explicatione Nota, Lucæ verba esse valdè concisa, & quadam relinquere subintelligenda, quæ supplet S. Matthæus cap. 23. vbi Christus ait: Vt vobis Scriba & Pharisei hypocritæ, qui edificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum; & dicitis, Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui Prophetas occiderunt. Ex quibus patet Primò, Iudeos tunc vulgò existimasse esse opus pium sepulchris & ornatis monumentis venerari Sanctorum reliquias: quia Christus Scribas ibi vocat hypocritas, quod ex hoc opere, sicut ex decimatione menthæ & anethi, & alijs similibus operibus ex se bonis vanam gloriam & opinionem sanctitatis sibi quærerent. Nec Christus ea opera secundum se reprehendit, sed solam eorum malam intentionem, & quod dum illa facerent, grauiora præcepta negligenter, vt ex toto contextu capitis patet, & præsertim v. 23.

25 Patet Secundò, Scribas & Phariseos ostendisse se esse filios eorum qui Prophetas occiderant, non quidem edificando horum sepulchra (hoc enim nulla apparentia id probat, sed potius contrarium; vnde etiam, vt patet ex verbis S. Matthæi, ipsi eiusmodi operibus volebant ostendere se abhorre omnino à factis patrum suorum) sed Primò, vocando eos, qui occiderant Prophetas, suos patres; Secundò, similiter occidendo Prophetas, quos Deus tunc

Y y 3

ad

ad eos mittebat, scilicet Christum eiusque discipulos, ut tam Matthaeus quam Lucas subiungunt. Illa igitur verba apud S. Lucam, *Quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem edificatis eorum sepulchra*; non debent referri ad illa proximè præcedentia, *Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum*. sed ad alia præcedentia, *Va vobis*, &c. Reddit enim ibi Christus rationem cur sint hypocritæ & reprobi: quia nimirum cum tam verbis quam etiam ædificatione sepulchrorum, damnarent occisores Prophetarum, nihilominus ipsi eos imitabantur, similiter occidendo Christum eiusque discipulos à Deo ad se missos; atque ita seipso condemnabant, & aperte ostendebant se gravissimis suppliciis dignos esse: scilicet verbis & factis graviter in suis maioribus damnando ea, quibus ipsi similia atque etiam peiora perpetrabant. Hanc explicationem pulcherrimè paucis tradit D. Ambrosius libr. 7. in Lucam in fine cap. 11. ubi de Scribis loquens, ait: *Qui edificando sepulchra Prophetarum, suorum patrum facta damnabant: emulando autem paterna scelera, in seipso sententiam retorquebant. Etenim prophetarum ædificatione tumorum, sceleris eos qui occiderant arguebant, & similibus emulatione factorum se quoque declarabant paterna iniquitatis heredes. non igitur ædificatio, sed emulatio loco criminis æstimatur. Quibus nihil pulchrius & brevius pro huius loci explicatione dici potuit.*

Ambros.

D V B I V M IV.

Qua ratione eleēmōsyna operetur in dante remissionem peccatorum alioque effectus spirituales?

26
D. Thom.
Duplex eleēmōsynæ effectus.

D. Thomas quæst. 32. art. 4. tribuit eleēmōsynæ duplicem effectum spirituales: Primum cum quem producit ratione suæ causæ, siue ratione affectus ex quo fit, ut quando fit ex vera caritate Dei vel proximi; tunc enim certum est eam ratione actus à quo imperatur habere eodem effectus, quos habet dilectio Dei aut proximi.

Ecclesi. 29.

Secundum quem habet ratione sui effectus, scilicet quatenus excitat recipientem ut pro dante oret; & sic intelligitur id quod dicitur Ecclesiastici 29. *Conclude eleēmōsynam in corde pauperis, & hac pro te exorabit ab omni malo.*

27

Et de his satis constat inter Catholicos, qui omnes fatentur. Primò, eleēmōsynam factam ex vera caritate theologica, ratione huius per modum ultimæ dispositionis valere ad remissionem peccati: quia omnis actus veræ caritatis Dei elicited à peccatore, hunc ultimò disponit ad gratiam iustificantem, ut communiter omnes fatentur, & fusiùs ostendi tomo 2. de Sacramentis disputatione 2. dubio 1. 7. & 3. Secundò, eleēmōsynam factam à iusto ex vera caritate mereri augmentum gratiæ & gloriæ. Idemque dicendum esse de omni ea, quæ à iusto fit ex quoque fine aliquo modo supernaturali, siue tendente in Deum, satis ostendit;

disuprà disp. 3. dub. 9. Tertiò, eandem esse satisfactoriam pro peccatis post peccatum remissum adhuc restantibus, satis ostendi tomo 2. de Sacramentis disput. 10. dub. 3. & 4. ubi ostendi id generatim convenire omni operi bono factò à iusto. Quibus locis etiam refutavi hereticos nostri temporis, negantes nos siue per eleēmōsynam, siue per vlla alia bona opera posse quidquam apud Deum mereri, aut pro peccatis satisfacere.

Restat hic solum explicanda difficultas, qua ratione eleēmōsyna non facta ex amore Dei super omnia, sed ex alio siue honesto valeat ad remissionem peccati mortalis. Quam te præcipua difficultas est cum quibusdam hereticis, qui olim tempore D. Angulini, ut ipse statuit lib. 27. de Civitate cap. 22. putabant eam tantam habere vim remittendi peccata, ut quicumque fidelis daret eleēmōsynas, modò ex animo remitteret offensas omnibus iis qui ipsum offenderant, quoties hi veniam peterent; quantumvis ipse in aliis peccatis perleverat, nullo tamen modo perpetuò damnaretur: sed saltem peccatis Purgatorij post exiguum vel longum tempus, ab omnibus peccatis purgatus tandem perveniret ad cælum.

Probant autem suum errorem ex Scripturis. Primò, quia Luca 11. Christus dicit Scribis, *Veruntamen quod superest date eleēmōsynas, & ecce omnia munda sunt vobis.* Secundò, quia Christus Matthæi 6. iubet nos in quotidiana oratione dicere Deo, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* & deinde subiungit: *Si enim dimiseritis peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis peccata vestra.* Vbi Christus videtur generatim promittere remissionem peccatorum omni remittenti alteri quæ in se peccavit: quæ remissio est quadam spiritualis eleēmōsyna. Tertiò, quia Tobia 4. dicitur, *Eleēmōsyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Quartò, sanctus Iacobus c. 2. ait: *Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam: superexultat autem misericordia iudicium.* Vbi indicatur solis illis futurum iudicium sine misericordia, qui misericordiam non fecerint. quod etiam pertinet illud Matthæi c. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quintò, 1. Petri 4. dicitur: *Caritas operis multitudinem peccatorum.* Eleēmōsyna autem est actus caritatis. Sextò, quia Christus Matthæi 25. reddens rationem cur aliqui salventur, alij verò æternum damnentur, hanc solam adfert, quod illi fecerint opera misericordiæ; hi verò non. Alia similia multa habentur pluribus Scripturæ locis.

Pro eadem opinione videntur facere plurima dicta Patrum, qui videntur eleēmōsynam tribuere eandem aut etiam maiorem viam delendi peccata, quam habet baptisimus. Hinc D. Ambrosius scribit 31. ait: *Ita igitur eleēmōsyna exstinguit peccata, sicut aqua baptisimi gehennam exstinguit incendium.* Et paulò infra: *Ergo eleēmōsyna quodammodo animarum aliud est lavacrum, ut si quis fortè post baptisimum humana fragilitate deliquit;*